

malo, quàm nō satis pro dignitate de iisdē dicere. Quòd eò magis faciendum mihi duco, quò insignes animi ingenijq; tui dotes cunctis sunt notiores.

Ad cōmētarium D. Marcelli Squarcialupi de hac eadē re scriptum quod attinet, est is mihi eodem tempore Frācofurto missus. Disputat hic uir non de praesagitione solum ex Cometis, sed alacri & cōfidenti animo fortissimū Philosophorū Ducē Aristotelem ultrò ad certamen pro uocat. Partem huius Commentarij eam, quæ in Aristotele scripta est, mense uno prius abs te missam accepi, legi, relegi, expendi. Quanta potui diligētia, inquam, excussi, quia iudicium meū de ea seriò requirebas. Causas habeo multas minimeq; leues, cur de alienis laboribus non libenter iudicem: inter quas postrema non est, quòd iam olim experientia me docuit, quàm displiceant, qui secus, quàm speratur, sententiam ferunt. Etenim non semel tantum malam iniui hoc nomine gratiam apud nonnullos, qui me tantum non coegerunt dicere, quod sentiebam, quia non idem mihi uisum est, quod ipsi praconceptum in animis suis fouebant. Sed praeteritorum abiecta memoria, futurorūq; metu deposito, quomodo cūq; res cadat, certum est, tuæ dignitati morem gerere: ne, si primam hanc tuam petitionem non admittam, nullum reliquis in posterum apud me locum fore suspiceris. Dicam enim quod adhuc uerum puto, sed ita dicam, ut nec se offensum, qui aliter censet, iustè queri possit, nec ego non uelim cedere meliora docenti.

Cæterum non erat necessarium, ut me hortareris, ut meis potius sensibus, quàm Aristotelis, sentiam, meoq; magis animo, quàm alieno, sapiam. Quippe scio miserabile esse seruitutē eorū, (cui tamen spōtè colla pleriq; subiiciunt) qui nec sentire, nec loqui aliter audent, quàm is loquitur & sentit, quem sibi imitandum proposuerunt, quemque nihil in eo genere nescire sibi persuaferunt. Haud scio, an res ulla studiosis plus officiat, cursumq; scientiarum atq; artium omnium magis retardet atq; inhi-

beat.